



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

200 Vnio permutationem an impediat, vt Resuratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

sicuti collatio aliis quàm permutantibus facta,
per d. Clementinam est nulla, sic & alia quæ-
cumque prouisio aliis quàm permutantibus
facta debet esse reputariq; nulla. Non obsta-
te ergo sophismate modo memorato, senten-
tiam nostram superiorem iudicamus non æ-
quioram tantum sed & iuri conformiorem seu
de iure veriorem. Tertia quæstio de beneficiis
erat vnitis; in quibus procul dubio sententia
communis erit verissima si resignantes ex cau-
sa permutationis non ignorauerint vnionem,
cùm talia beneficia non magis in permutatio-
nem venire possint quàm beneficia reseruata.
Clement. vnic. vers. Quidam etiam. de excess.
prælat. coniuncta declaratione quadam d. ex-
trauagantis Execrabilis. per Senensem cōme-
morata d. tract. de permut. quæst. 29. Nam
alioquin vnio semper ac in perpetuum per
huiusmodi permutationes posset eludi, quod
ferendum non est vt ibidem Senensis existimat.
Ego tamen id in dubium non sine causa reuo-
co: nam quâumlibet impediatur permutatio
beneficij nominatim & expressè vniti, quid-
nam quæso iustæ tandem causæ poterit adferri
cur suis excidant beneficiis ita permutantes,
ac non potius ea retineant? quid obsecro ma-
gnopere peccarunt? Loquimur hic nempe de
casu quo beneficiorum permutandorum col-
latio pertinet non ad Pontificem sed ad Ordina-
riam, coram quo permutantes resignatio-
nem faciunt ex causa permutationis & non a-
liter: qua permutatione non sortiēte effectum,
seu

209
Vnio permuta-
tionem ab
impediat vs
Reservatio.

201
Vniendi po-
testas penes
Episcopum.

seu non admittente eam Episcopo, quidni sua beneficia retineant? nec enim hic ea sunt gemina peccata quæ depræhendebantur in tentatis beneficiorum ipsi summo Pontifici reseruatorum permutationibus; cum potestas vniendi sit penes ipsum Episcopum c. sicut vnire, de excess. prælat. & Clement. si vna. de rebus Ecclesiæ non alienandis. Neque verò magni momenti videtur obiectio absurdi non ferendi, de vnione scilicet in perpetuum eludenda per huiusmodi permutationes: quia vel singulariter vnita sunt beneficia certa, vel generaliter vnita primùm vacatura: priore casu permutatio non admittetur quidem, sed abundè tamen suo tempore satisfiet expectantibus vnionem si post mortem demum possessoris vnio sortiatur effectum; posteriore casu poterit vnio compleri per mortem alicuius alterius etiam si permutatio huius aut illius admittetur; quam sanè & ego prorsus admittendam censeo si nimirum verbis vacandi tantùm generalibus facta fuerit vnio citra menciónem expressam vacationis ex causa resignationis vel cessionis cuiuslibet. quãdoquidem permutandi facultas omni iure cõpetens interpretationi dubiæ talis vnionis videtur præferenda, quod secus est in vnione certi beneficij nominatim expressi propter absurdum quod sequeretur ex perpetua permutatione. Caterùm si Pontifex ipse proprio motu fuisset vnionis auctor, haud equidem negauerim quin idem foret hic statuendũ quod in quæstione prima de beneficiis reser-

202
Quid si pro-
prio motu Põ-
tifex ipse fe-
cerit vnionẽ.